



016

014

020

010

025

005

065

115

515

Ende

Anfang

guntur et post imbibit aquam emergit et natat, cum tamen contrario modo fiat cum aliis lignis. De hoc loco Augustinus dicit de civitate Dei LXXI. c. 5.

Sed ad aliam considerationem convertamus nos, nam arboris (b) illius stipes vel truncus est cavatus et duae lampades in ipsa pendebant cavatura. Dicitur autem ficus illa arbor beatae Mariae Virginis; nam communis fama est tam Christianorum quam Saracenorū, quod virgo Maria, quando in hoc loco deguit, quadam vice descendit de fonte suo in agrum sequens rivulum, qui de fonte fluebat, gestansque in brachio puerum Jesum. Dum ergo sub umbra illius arboris se ad sedendum aptaret, ecce subito arbor crepuit et interioribus evacuatis locum aptissimum sedendi dominae praebuit. Quod ergo beatissima Virgo propter se factum intelligens arborem est ingressa et locum sibi paratum ad sedendum cum puerō accepit. Hanc arborem sicut et fontem venerantur simul Christiani et Sarraceni ob beatissimae Virginis Mariae reverentiam, intrantes enim reverenter habent Sarraceni beatissimam Mariam Virginem, ut omnia ad eam pertinentia aestiment sacra, et ei maledicentes vel eam blasphemantes sine interrogatione occiduntur duris cruciatibus, ut habetur in Alcorano P. de Cred. L. 3. c. 17. Sicut enim arbor miraculose Virgini sedendi locum dedit, sic fons propter eam de cataractis terrae miraculose erupit. Nos ergo arborem ingressi successive sumus et cum salutatione angelica loca sessionis deosculabamur et nos ad sedendum ponebamus, quilibet paululum. Dependebat autem arbor plena ficubus magnis et bonis, quas vocant Pharaonis, de quibus manducavimus magis propter Virginis honorem, quam propter necessitatem aut delectationem. Siquidem dicitur, quod arbor illa numquam sit visa sine fructu, et septies in anno successive fructificat. Accepimus etiam de lignis ejus ramusculos parvos, quia Saraceni dicunt, quod febricitantibus prosit, dum de eo bibunt, impositum vino vel aqua.

Inde progressi contra aliam nobis certe mirabilem arborem, sub qua stetimus et suspensi eam intuebamur. Hanc arborem, quia aliis dissimilis est et insoliti crementi et formae, non bene possum describere. Excrescit enim de terra, sicut arundo, non quod sit arundo, nec genus arundinis, sed sicut arundo non habet ramos, sed folia in circumferentia stipitis, ex quibus resultat, sic et arbor haec. Est autem grandis stipitis et folia habet ingentia,